

Hermannchronik
(MGH SS 5, S. 131.37–133.43)

Wien Hs. 3399, Fol. 106^v–109^v
Muri-Sarnen Hs. 10, Fol. 96^r–97^r

tendens, summa cum caritate ab imperatore, Romam reversurus, digreditur. Secuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim iussu dominorum, partim spe quaestus adducti, multi etiam scelerati et protervi, diversasque ob noxas patria pulsi.

Quos ille omnes, tum consuetae misericordiae nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer et grater suscipiebat. Transiens ergo per Alamanniam, purificationem sanctae Mariae Augustae egit, Mantuaeque quinquagesima acta, et nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, infra dies quadragesimae Romam pervenit.

Ipsis diebus in Italia quidam lacus, quos Iulius quondam Caesar quadrato lapide, perpetuo ut putabatur opere, fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen Tiberimque ultra modum exundare fecere, subitaque illuvione multa aedificia, ipse pons Narniensis dirutus, multique mortales absumpti sunt.

Ipsis diebus quidam lacus, quos Iulius Caesar perpetuo, ut putabatur, quadro opere fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen Tiberimque ultra modum exundare fecere, subitaque illuvione multa aedificia, ipse pons Narniensis dirutus, multique mortales absumpti sunt.

Imperatore in Saxonia apud Merseburg commanente, cum rege Danorum pascha egit, ipsisque diebus Counradum

Imperator in Saxonia apud Meresipurch, commanente secum rege Danorum, pascha egit. Ipsisque diebus